

ARTIC. VI.

An omnis natura specifica creata possit hos duos respectus fundare?

Naturas, quæ has relationes fundare possunt, facilius ex dictis quæst. 2. de genere, art. 1. colligere poterimus: unde præsentem articulum tantum propter naturas angelicas mouemus: circa quem est prima sententia communis inter nonnullos Thomistas asserens tales naturas non posse relationem secundam prædicabilis fundare, prout secundum se considerantur, & quocumque intellectu fiat talis consideratio: sic Araujo lib. 3. Metaph. quæst. 4. art. 4. conclus. 3. & alij, quos ipse citat: Rubius in hoc cap. quæst. 4. Ona, quæst. 2. art. 2. qui quidem duo affirmant naturam angelicam fundare relationem subijcibilitatis, non tamen prædicabilitatis: tum quia isti respectus non dependent ab inuicem; ut diximus: tum etiam quia natura angelica est ex se, etiam de potentia Dei absoluta, indiuidua; & incommunicabilis: ut expresse asserit D. Thomas 1. p. quæst. 50. art. 4. & alibi sæpe: ergo talis natura hanc relationem prædicabilitatis fundare nequit. Secunda, & opposita sententia quoad vtrumque est Doct. 7. Metaph. quæst. 13. & in 2. sent. distinct. 3. quæst. 7. & omnium suorum ibidem, & etiam multorum Thomistarum, quos citat pro hac sententia Araujo ut supra: & quia exacta huius difficultatis tractatio ad materiam de Angelis spectat, quam ibidem optime tradunt Dominus Rada controuers. 5. art. 3. & Herrera disput. 5. quæst. 4. prout ad præsens attinet. Dicendum: omnis natura creata spiritualis est apta hæc duplici relatione denominari: est Doct. ut supra, & quodlib. 2. & probatur hac vnica ratione: quæcumque quidditas absoluta est de se à parte rei pluribus comunicabilis: sed natura angelica est quidditas absoluta: ergo probat maiorem: si alicui tali quidditati repugnet esse comunicabilem; vel esset ratione suæ perfectionis; vel suæ imperfectionis: non ratione primi: quia tunc actualiter comunicari diceret imperfectionem; & ita naturæ diuinæ cõpetere non posset: quod est hæreticum: cum de facto tribus personis comunicetur: nec ratione secundi: quia naturæ materiales, quæ sunt multo imperfectiores, de facto comunicantur: ergo cum naturis angelicis ex nullo capite repugnet à parte rei pluribus numerice distinctis comunicari, optime poterunt has relationes fundare. Patet hæc vltima consequentia: omne multis comunicabile: vel comunicatur cum identitate naturæ numerice; vel cum distinctione numerice illius: non primo modo: cum hoc tantum naturæ diuinæ conueniat: ergo secundum factum est: ac per consequens est verum fundamentum harum relationum.

Ex quo infero; quam sine fundamento D.

Thomam interpretentur illi, qui ab opinione Caietani discedentes, dicunt naturam, v. g. Gabrielis esse ex se à parte rei indiuiduam; & nihilominus, ut vniuersalem, concipi posse: quia hoc est manifesta contradictio: siue sumatur vniuersale, ut est tale secundum intellectum, & rem tantum: siue ut est tale, secundum intellectum: (ut Caietana distinctio vtatur) nam quæro: in hac secunda acceptiore quando intellectus concipit naturam Gabrielis, ut communem, & vniuersalem: vel concipit illam sine repugnantia comunicabilitatis; vel cum repugnantia? si primum habemus intentum: si secundum: ergo est de se singularis; quod tantum est proprium Diuinæ essentia: & præterea, quia implicat talem naturam, ut sic, concipi ut vniuersalem: singulare enim, ut sic, nequit nisi fictiue, intelligi, ut vniuersale: quod est à Logico institutum alienum.

ARTIC. VII.

An indiuiduum sit per se diffinibile: recteque à Porphyrio diffiniatur?

PRO parte negatiua sit primum argumentum. Diffinitio secundum Doct. in 4. distinct. 1. quæst. 2. art. 1. & ex Aristot. 7. Metaph. tex. com. 35. est tantum rei vniuersalis: ergo non est indiuidui.

Secundo, indiuiduum, secundum Porphyrium, est quod prædicatur de vno solo: ergo non potest esse species, ut modus: ergo nec diffinitio: quia diffinitio est speciei tantum: probat maiorem: quia prædicari de vno solo, & esse speciem, contradicunt.

Tertio, si indiuiduum diffinitur, est species: ergo vniuersale: consequens est falsum: quia prædicatur oppositum de opposito: ergo dicendum est, quod nec est species, nec diffinitio.

Pro intelligentia notandum primo, quod indiuiduum dupliciter sumitur: primum, & secundum intentionem: primo modo idem, quod Petrus, v. g. seu Franciscus importat: secundo modo capitur pro quoddam secunda intentione, à qua res singularis denominatur indiuiduum: & hoc secundo modo, adhuc dupliciter: vel ut subijcitur speciei, cuius correlatum est, quod ita diffinitur: indiuiduum est, quod speciei subijcitur. Vel sumitur, ut est de vno prædicabile: quod in hoc sensu sic etiam à Porphyrio diffinitur. Est quod de vno solo prædicatur. Et in vtraque diffinitione sumitur indiuiduum in concreto, significans pro formali relationem subijcibilitatis, vel prædicabilitatis de vno; & connotans pro materiali Petrum, vel Franciscum, aut quæcumque alia singularia, prout in esse cognito à talibus relationibus denominantur: in hoc enim sensu diffinitur à Porphyrio: non vero prout comparatur ad sua inferiora ipsam quidditatiue includenti, scilicet, ad hanc secundam intentionem applicabilem Petro, & ad illi applicabilem Franciscum: nam, ut sic, indiuiduum est vna species secundæ intentionis, & vniuersale.

1. Sentent.

2. Sentent. Doctoris.

Conclusio.

1. Argum.

Secundum.

Tertium.

1. Not.

2. Not.

sal: ut ait Doctor supra quæst. 6. vniuersi ad tertium, nec in hoc sensu agimus de indiuiduo in præsentibus: sed in primo.

Secundo notandum: quod ab Hæcceitatibus omnibus, quatenus quælibet habet eundem modum determinandi naturam ad esse singularis, & fundat vnitatem proportionis, abstrahit intellectus ab hoc modo se habendi vnum conceptum quidditatiuum improprium; cui tanquam fundamento proximo, tribuit secundam intentionem subijcibilitatis, vel prædicabilitatis: ex quibus duobus resultat vnum concretum intentionale commune, quod dicitur indiuiduum, & diffinitum in his diffinitionibus: licet enim Hæcceitates sint primo diuersæ: hoc est secundum Doct. in primo, distinct. 20. lit. Y. in nulla realitate quidditatiue à parte rei conuenientes, quæ de illis dicatur in quid; sitque per illas contrahibilis: nihilominus à talibus, sic primo diuersis; potest vnus conceptus communis abstrahi prout proportionabiliter se habent: eundemque participant modum singularizandi. Et hoc est, indiuidua realiter conuenire; ut volunt Caiet. in hoc cap. & Rubius, quæst. 6. & cap. de substantia, quæst. 5. nec oppositum vult Doct. 7. Metaph. quæst. 13. & in primo, dist. 28. q. 1. & in secundo, dist. 3. q. 6. (quidquid reclamet Valera lib. 1. dist. 4. art. 2. q. 1.) ut patet ex illo in primo, dist. 23. lit. K. in vltimis verbis quæstionis; quæ sic se habent: potest dici: quod ab indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatiue indiuiduorum: sed etiam aliquid quasi proprium. Hæc Doctor.

Catal.

Ex quibus infero: quod licet secundam intentionem indiuidui in communi secundum suam essentiam, & naturam, & sumpta, ut quo, ac in actu signato, denominet tantum rem singularem, tanquam intentio opposita intentioni speciei, quæ denominat naturam communem: nihilominus ipsa, ut quod, & accidentaliter capta; & vnde denominat conceptum prædictum, est vniuersalis: accidit enim indiuiduo, ut sic, ab hoc, & illo indiuiduo abstrahi, & speciem denominari, à relatione speciei, quæ in illo resultat, qua relatione species secundum modum dicitur.

3. Not.

Tertio notandum: maximum esse discrimen inter cõceptus vniuersales, & indiuidui, qui sunt fundamenta istarum intentionum: nam conceptus fundans vniuersalitem desumatur ab aliqua realitate multis diuisis à parte rei comunicabili: at vero conceptus fundans secundam intentionem indiuidui non sumitur ab aliqua realitate multis communi, sed ab eodem modo se habendi singularitatum. Vnde cum quælibet Hæcceitas sit ex se tantum comunicabilis, ut quo, vnico indiuiduo: inde fit, ut talis conceptus communis ab eis abstractus, non sit communis per modum plurium, sed per modum vnius: ac per consequens intentio ipsum denominans, etiam si sit communis, & respiciat plura, non tamen per modum plurium, sed per modum vnius. illa respiciet: & ideo dicitur species, & vniuersalis, non essentialiter, sed secundum modum: quod sufficit, ut vere, licet non proprie, diffiniatur.

Quarto notandum: prædicationem, prout ad præsens attinet, esse in duplici differentia: alteram naturalem; & alteram artificialem: prima est identica, quando idem de seipso prædicatur: vel per se; ut Petrus est Petrus: vel per aliquid æquiualens: ut Petrus est indiuiduum. Secunda est, quando aliquid ignotum ad scientiam pertinentens explicatur: quæ prædicationes multipliciter differunt: primo, quia prima requirit terminos sola ratione distinctos: secunda vero formaliter. Secundo, prima terminos singulares postulat: secunda communes; saltem quoad prædicatum aliquo modo: ut in hac; homo est hoc animal: nam prædicatum est aliquo modo commune. Ex quo sequitur, tertio, quod prima sit indirecta: & secunda directa. Tandem differunt: quia tam subiectum, quam prædicatum primæ, solum dicunt naturam modum materiale: at vero subiectum, & prædicatum, secundæ dicunt totum cõceptum formalem, & integrum naturæ: & ideo de hac secunda solum Philosophi curarunt, tantquam de instrumento ad scientias conducente: de prima autem parum curauerunt: non quia non sit: sed quia ad eorum institutum, & modum scientias acquirendi, parum, aut nihil conducebat.

4. Nota.

Quinto notandum: quod sicut indiuiduum dupliciter sumitur: sic à Porphyrio dupliciter diffinitur: & primè intentionaliter hoc modo: indiuiduum est, cuius collectio proprietatum in alio esse non potest: quæ diffinitio datur à posteriori, & per accidentia, non solum propria, sed communia: & tantum indiuiduo substantiæ cõpetit, cuius proprietates his carnibus comprehenduntur.

5. Nota.

Forma, figura, locus, tempus, Cum nomine sanguis, Patria, sunt septem, quæ Non habet vnus, & alter.

Et ab his proprietatibus, quæ ad Hæcceitatem quamlibet indiuidui substantialis consequuntur, desumitur conceptus relatus omnibus ab eodem modo se habendi communis. Cæterum, quia ad Hæcceitatem positiuam consequitur etiã quædam negatio comunicabilitatis: ideo sic communiter indiuiduum primè intentionaliter diffinitur: indiuiduum est indiuiduum à se, & diuisum à quolibet alio; diuisione suple materialis: quæ indiuisio fundatur super vnitatem numericam, quæ est entitas positiuam: ut alibi videbimus: in hac autem ratione negationis omnia indiuidua vniuoce cõueniunt: quia ut ait Doctor, ut suprà his, quæ sunt diuersa secundum rationes positiuas, datur negatio hominis æquæ; ac vniuoce conueniunt Leoni, Equo, lapidi, &c.

1. Conclusio.

Dicendum primo, indiuiduum secundum intentionem liter capiti, prout dicit ordinem ad sua inferiora quidditatiua, proprie diffinitur potest, tanquam vera, & propria species intentionalis. Hæc est Doctoris supra q. 6. vniuersi. ad 3. & in 1. dist. 2. q. 3. lit. C. & probatur nam ut sic, constat ex genere, scilicet, secundam intentionem, & ex differentia: siue ut subijcibile. siue ut prædicabile, sumatur: ut sic enim in recta serie secundarum intentionum ponitur: ergo, &c.

N Dicesi

2. Concluf. Dicendum secundo, indiuiduum in concreto, prout dicitur relationem subijcibilitatis ad speciem, & connotat singularia pro fundamento, optime à Porphyrio diffinitur eo modo, quo diximus Not. primo, quæ diffinitio huic æquivalere: indiuiduum n. est, quod sub assignata specie ponitur, & de quo species in quid complete prædicatur. Hæc patet per ea, quæ de simili diffinitione speciei supra diximus: & ultra: quia per hæc diffinitionem distinguitur indiuiduum à subijcibilibus aliorum prædicabilium: solum enim indiuiduum immediate sub specie collocatur.

3. Concluf. Dicendum tertio, indiuiduum intentionale in concreto optime per hoc, quod est, de vno solo prædicari, diffinitur: hæc est communis: & probatur: tum quia constat genere, scilicet, secundum intentionem: & constat ex differentia, nempe prædicari de vno: tum etiam, quia per hæc diffinitionem distinguitur indiuiduum à prædicabilibus, quæ de pluribus, per modum plurium prædicantur: ergo.

4. Concluf. Dicendum quarto, diffinitio indiuidui, quæ datur per collectionem proprietatum, non est proprie diffinitio, sed explanatio, & notificatio quædam: hæc de se patet, & nulla indiget probatione.

Ad primū. Ad argumenta: ad primum dico, quod diffinitio vere, & proprie, tantum est rei vniuersalis, vel illius, quod se habet ad modum vniuersalis, quale est indiuiduum secunde intentione, & in concreto sumptum: hoc enim optime, licet non ita proprie, sicut vniuersale, diffiniri potest: quæuis non, ut sumitur à parte rei; & de hoc indiuiduo reali intelligitur Doctor.

Ad secundum. Ad secundum, concedo indiuiduum prædicari signate de vno solo: quæ prædicatio in actu exercito sic verificatur: ergo Petrus est Petrus: nego tamen, ut sic, non fore rationem speciei quoad modum: quod sufficit, ut vere diffiniatur: & per hoc.

Ad tertium. Ad tertium, quando enim dicitur: indiuiduum est vniuersale, sumitur indiuiduum, ut quid; & vniuersale, ut modus: quæ ut sic, non opponuntur: quid enim opponitur quid; & modus modo.

ARTIC. VIII.

An de indiuiduo detur scientia?

Notandū. **N**Orandum sine argumentis: quod in presenti nõ loquimur de indiuiduo, prout species secundæ intentionis: nam de illo, ut sic, certum est scientiam dari: quia, ut sic, est proprie diffinibile: ut vidimus Articulo præcedente: sed loquimur de indiuiduo, ut est à parte rei; v. g. de Petro, & Francisco.

1. Concluf. Dicendum primo, de indiuiduis speciei, si secundum se sumantur, non datur scientia. Hæc est communis, cum Doctore 7. Metaph. quæst. 13. & in secundo, distinct. 3. quæst. 6. lit. M. & probatur primo, ex Philosopho secundo æthico rum cap. 2. dicente: singularia non cadunt sub arte, nec sub præceptis: & cap. 8. ait: de singulari

bus non est scientia: sed sensus, & experientia: igitur.

Secundo probatur ratione: si de Petro, ut sic, daretur scientia, necessario haberet in se aliquod prædicatum essentialiter, per quod essentialiter differret à Paulo: & idem de Paulo respectu Petri: ergo homo, qui de illis prædicatur, de pluribus essentialiter distinctis prædicatur: ergo homo est genus: & indiuidua sunt species habentes sub se alia indiuidua, de quibus fiat idem argumentum: an habeat idem prædicatum essentialiter, vel diuersum: donec perueniatur ad vnum essentialiter prædicatum commune illis, de quo tantum sit scientia: & non de eis, prout secundum se sumuntur.

2. Concluf. Dicendum secundo, de singularibus, prout habent in se prædicata superiora, & sunt talium prædicatorum subiecta, datur scientia. Hæc est etiam Doctoris, ut supra: & probatur: nam quidquid scimus de vniuersalibus, scimus etiam de singularibus, ut sic: sed de vniuersalibus datur scientia: ergo, & de singularibus: prout vniuersalia continent: maior probatur: nam idem medium, quod deseruit ad demonstrationem in scientia de homine: scilicet, animal rationale in demonstratione propter quid: & animal risibile, in demonstratione quia: & eadem passio: sunt etiam in Petro, & Paulo, prout hominem includunt: ergo de illis, ut sic, erit scientia, sicut & de homine.

3. Concluf. Dicendum tertio, scientia, quæ de singularibus datur, est eadem realiter, & formaliter, cum scientia vniuersalium: est etiam Doctoris vbi supra: & probatur: vbi dantur eadem principia scientiæ, datur eadem scientia: sed eadem sunt principia realiter, & formaliter, in scientia vniuersali & singularium: prout de illis loquimur: ergo eadem est scientia realiter, & formaliter: minorem probat: nam eadem est diffinitio: eadem passio demonstrabilis: ut consideranti patet: igitur, &c.

Et per has conclusiones manent soluta omnia argumenta, quæ pro, & contra fieri possunt: nã quæ probant, de singularibus nullatenus dari scientiam, primam conclusionem confirmant: reliqua vero secundam, & tertiam probant.

ARTIC. IX.

An indiuiduum eadem relatione subijcibilitatis respiciat speciem, & genus?

Genus vna, & eadem relatione superioritatis respicit sua subijcibilia, & idem de specie respectu suorum, iam supra diximus: Vtrum vero de indiuiduo, quatenus speciei, & generi subijcitur, idem asserendum sit, est nunc nobis dicendum.

1. Sententia. Prima sententia, & affirmatiua, defenditur à Fonseca 7. Metaph. cap. 28. q. 14. sect. 4. & probatur primo, genus respicit speciem immediate, & media specie, indiuiduum, eadem prorsus relatione: ergo similiter indiuiduum, eadem relatione, respicit speciem immediate, & media specie, genus: eadem enim vtriusque ratio apparet.

Secundo

Secundo: species; eadem ratione, respicit omnia sua prædicata essentialia superiora, vnum mediante alio: ergo, & indiuiduum respicit omnia sua prædicata essentialia superiora, vna dumtaxat relatione: ita ut vnum, mediante alio, respiciatur eodem relatione, quæ respicit immediate speciem, respicit & genus.

Tertio, ab inconuenienti: nam sequeretur, indiuiduum immediate, & non media specie, respicere genus: quod implicat: patet sequella: nam si diuersa est relatio, quæ respicit vtrumque; per illam, quæ respicit genus, non respicit speciem, & è contrarietate alia superflueret: ergo indiuiduum immediate respicit genus alia relatione diuersa, ab ea, quæ respicit speciem: quod est falsum: nam sicut genus, mediante specie, respicit indiuidua, sic indiuiduum, mediante specie, respicit genus.

Fateatur tamen Doctor iste, diuersam esse relationem essentialiter, quæ species subijcibilis refertur ad genus, ab ea, quæ indiuiduum ad ipsum genus refertur: fundamentum est: quia si istæ relationes essent eiusdem speciei; sequeretur indiuiduum esse speciem subijcibilem: quia eadem relatio specifica eundem effectum tribuere debet.

Notandū. Pro intelligentia veritatis notandum: quod aliter respicit genus speciem, & indiuidua: & aliter indiuiduum speciem, & genus: genus etenim respicit sua subijcibilia, tam immediata, quàm mediata, eodem modo, & sub eadem ratione prædicandi in quid incomplete de illis: at vero indiuiduum respicit speciem, ut suum prædicatum completum: & genus respicit, ut prædicatum incompletum.

Corol. Ex quo sequitur: quod licet sit mediatio speciei inter genus, & indiuiduum, in ratione essentiali, seu communicabilitatis naturæ: non tamen est mediatio in ratione modi communicandi, & prædicandi: & ideo talis mediatio non impedit, quo minus genus respiciat speciem, & indiuiduum, æque immediate quoadmodum prædicandi: non vero quoad communicationem naturæ: nam, ut sic, mediate respicit indiuiduum, tam prædicatione signata, quam exercita: hæc enim est mediata: animal prædicatur de Petro: ergo Petrus est animal: quia mediat homo, mediante quo, animal communicatur Petro: & in hoc sensu intelligendum est illud, quod supra quæst. 5. art. 2. diximus: nam ibi de genere pro fundamento, & ut est aptum prædicari, loquuti sumus: nunc vero loquimur de genere pro formali, quo ad modum prædicandi de quocumque suo subijcibili: vnde sicut species, & indiuiduum, induunt vnam rationem subijcibilis incompleti respectu generis: ita genus respicit illa æque immediate. Attamen mediatio speciei inter genus, & indiuiduum, est dissimilis: quia indiuiduum respicit speciem, tam in ratione communicandi, quam modi prædicandi, ut quid completum: genus autem respicit, ut quid incompletum: ex quo fit, ut sit diuersa relatio in indiuiduo ad genus, & ad speciem.

De genere Nota.

1. Concluf. Dicendum primo: indiuiduum, ut subijcibile, diuersa relatione respicit speciem, & genus: est Doctori conformis: & probatur primo indiuiduum respicit speciem, ut subijcibile completum; & genus, ut subijcibile incompletum: ergo hæc duæ relationes, in indiuiduo, distinguuntur: antecedens est certum: & consequentia probatur: nam sic refertur indiuiduum ad speciem, & ad genus; sicut genus, & species, referuntur ad indiuiduum (& loquor de relatione superioritatis, & subijcibilitatis) sed genus refertur ad indiuiduum, ut superius incompletum; & species, ut superius completum: & istæ duæ relationes in illis distinguuntur: ergo referri complete, & incomplete, subijcibiliter in indiuiduo distinguuntur.

Secundo, relatiua essentialiter diuersa habet correlatiua eodem modo diuersa: sed genus, & species sunt prædicabilia diuersa: ergo correlatiuæ relationes in indiuiduo erunt diuersæ: quia relationes mutue distinctæ, in correlatiuis mutuas distinctas relationes requirunt.

2. Concluf. Dicendum secundo, hæc duplex relatio in indiuiduo specificè distinguitur: patet ex præcedente, & probatur ultra: quia inter distinctionem numericam, & specificam, non datur medium: sed hæc relationes plusquam numero distinguuntur: igitur specie: probat minorem: quia subijci complete plus distinguitur à subijci incomplete, quam aliud subijci incomplete: sed duo subijcibilia incomplete distinguuntur numero: ergo subijci complete distinguitur ab illis plusquam numero: ac per consequens specie.

Secundo, omnia indiuidua eiusdem speciei habent easdem conditiones essentielles; nec inter ea est prius, & posterius: ut apud omnes est in confesso: sed istæ relationes nec habent easdem conditiones essentielles; inter easque est ordo prioris, & posterioris: igitur non numero, sed specie distinguuntur: probat minorem non enim ab eodem termino specificantur: & relatio indiuidui ad speciem præsupponitur relationi ad genus: nam ideo indiuiduum respicit genus, quia respicit speciem: igitur, &c.

Nota. Nec ex hoc sequitur, genus formaliter sumptum non respicere immediate speciem, & indiuiduum: nec sequitur indiuiduum, & speciem, non esse vnum subijcibile adæquatum respectu generis: nam rationem huius secundi induunt, quatenus terminant relationem generis sub eadem ratione in quid incomplete: cum quo stat primum, videlicet, quod genus illa respiciat immediate. At vero indiuiduum, ut subijcibile, cum non respiciat tantum genus, vel speciem; sed vtrūque simul: & inter genus, & speciem, detur ordo: ideo indiuiduum ordinate respicit illa: quia non est in illis eadem terminandi ratio.

3. Concluf. Dicendum tertio, relatio subijcibilitatis, quæ species refertur ad genus, & quæ indiuiduum ad idem genus refertur, solo numero distinguuntur. Probat primo, vtriusque relationis est idem terminus formalis; scilicet, genus, in quantum genus: ergo sunt eiusdem speciei, ac solo numero distinguuntur.

N. 2. Secunda

Secundo species, & indiuiduum eodem modo generi subiiciuntur, in quid, videlicet, incomplete: ergo eadem relatione subijcibilitatis secundum speciem, & solo numero distincta, referuntur ad genus: quia ex diuerso modo subiectionis sumitur diuersitas essentialis subijcibilium.

Nec fundamentum Fonsæcæ vrget: nam hæc duæ relationes differunt penes conotata materialia: & quia in specie est natura vniuersalis, ideo subijcibilitas eam immediate subiicit generi: quod non facit in singulari, ex eo, quod singulare est, & non commune.

Ad primū. Ad argumenta: ad primum negatur rationis paritas: vt patet ex dictis.

Ad secundum. Ad secundum eodem modo fit: tis: nam species respicit prædicata superiora in quid in complete: indiuiduum autem, licet eodem modo genus infimum, & alia prædicata superiora, vniuersa relatione respiciat, non tamen speciem: nam istam respicit in quid complete: ac per consequens relatione diuersa.

Ad tertium. Ad tertium nego sequellam: nam quamuis relatio sit diuersa: respicit tamen genus mediate: quia vna relatio alteram præsupponit: sicut fundamenta, quæ afficiunt.

ARTIC. X.

An dentur indiuidua, quæ immediate generi subiiciuntur?

Præfens difficultas iam supra quæst. 7. vniuers. art. 3. & quæst. 5. de genere art. 3. not. vnicō, manet aliquantulum ex Doctoris mente explicata: sed eam in præfenti propter nostrum Hieronymū de Valera ad longum disputare decreui: in qua est prima sententia eiusdem Patris Valera lib. 1. suæ Logicæ dist. 4. art. 2. q. 3. asserentis, nulla indiuidua subiici immediate generi, sed mediate: itaque ait: etiam si Petrus sit à parte rei, hoc animal: hoc corpus; hæc substantia: & hoc ens: nec hoc animal subiicitur immediate animali: nec hoc corpus corpori: & sic de reliquis: sed mediate, mediante, scilicet, Hæcceitate, quæ species, nepe homo, singularizatur: & hanc affirmat esse sententiam Doctoris nostri expressam, quæst. 8. de genere vbi ait: genus tantum prædicari mediate de indiuiduis: quæ probat.

1. Argum. Primo, ex Porphyrio cap. de specie dicente: genera suprema ita esse genera, quod nullo modo sint species. Sic sic: sicut si habet substantia ad hanc substantiam: ita animal ad hoc animal: sed substantia, non dicitur immediate de hac substantia: ergo nec animal de hoc animali (& sic de alijs generibus) minor probatur: vel si substantia dicitur de hac substantia, & illam respicit, vt genus: ergo per modum contrahibilis per differentias essentielles: ergo mediate, vel in quantum est species: & hoc est contra Porphyrium: vt patet, ergo, &c.

Secundo probatur ratione: quod sique indiuiduo dato inter illud, & genus, mediat aliqua species infima: vt inter animal, & hoc animal: inter viuens, & hoc viuens: ergo nullum datur indiuiduum, quod immediate generi subiiciatur, & de quo genus immediate prædicetur: antequam densus probatur: differentia indiuidualis non potest immediate contrahere genus, nisi media aliqua specie infima: vt dicitur Petri nullo pacto potest contrahere gradum animalis, nisi media natura, & differentia specifica. nec natura generica est capax proxime, vt fiat hoc indiuiduum, donec intelligatur contractum ad aliquam speciem: ergo inter quodcumque indiuiduum, & genus, mediat aliqua species: antecedens probatur: non minus est ordo essentialis inter differentiam genericam, specificam, & indiuidualem, quam inter differentias superiores essentielles magis, & minus vniuersales, vsque ad specificam: sed corpus, v. g. non potest contrahi per differentiam animalis: quin prius contrahatur per differentiam viuentis: neque viuens per differentiam rationalis: quin contrahatur per differentiam animalis: ergo neque animal est aptum contrahi per differentiam indiuidualem, & vltimam realitatem, nisi prius contrahatur per rationalitatem: ergo inter quodcumque indiuiduum necessario mediat aliqua natura ex differentia specifica constituta.

Confirm. Confirmatur ex nostro Doctore: de intrinseca ratione differentia indiuidualis est, quod sit vltima realitas supponens naturam specificam constitutam in omni suo esse essentiali: ideo enim materialis dicitur, (ait Doctor) ergo præsupponit omnem gradum superiorem aduatum per differentiam specificam: ergo omnis gradus superior respicit quodcumque indiuiduum, media natura specifica, ad quam immediatius descendit: ergo, &c.

3. Argum. Tandem probatur: secundum nostrum Doctorem, ratio superior, quatenus est prior naturaliter inferiori, non est singularis: ergo pro illo priori, animal, v. g. non est prius natura hoc, & determinatum indiuiduum, quæ sit constitutum per differentiam specificam. Antecedens patet: quia secundum Doct. in 2. dist. 3. q. 1. ratio superior, in quantum est prior naturaliter, est indifferens ad vnitatem singularem: ergo, vt sic, non habet vnitatem singularitatis: atque adeo animal non est prius natura singulare, quam contrahatur ad esse specificum: & tandem ad esse singulare, quod, ex ipso Doctore est vltima realitas rei.

4. Argum. Quarto, in fauorem huius sententiæ sic argumentor: tum quia in vno indiuiduo essent plura indiuidua: quod videtur absurdum: tum etiã quia vel hic homo, & hoc animal, sunt idem realiter; vel non: si primum: ergo sicut hic homo immediate subiicitur homini in communi; etiam & hoc animal subiicitur: si secundum: ergo hic homo est animal bis: patet nam semel est animal: prout est hic homo: cum animal sit de intrinseca hominis quidditate: & etiam est animal: prout est hoc animal: ergo bis est animal, quod est ridiculum.

Secunda sententia est Doctoris 7. Metaphysic. quæst. 13. §. intelligendum, quod vniuersa.

uersale: & in quarto distinct. 8. quæst. 2. lit. O. & omnium suorum interpretum ibidem, quos sequuntur Albertus, Caiet. & Verforius cap. de specie, Sanchez lib. 7. quæst. 16. Rubius cap. de specie, quæst. 5. Ona, quæst. 1. de genere Articulo 4. & alij multi recentiores; pro qua notandum primo, quod Hæcceitas, quæ in Schola Doctoris, est indiuiduationis principium, est entitas positiua ab entitate, quam indiuiduat, dimanans; & in eodem Prædicamento collocata: itaque supponit entitatem realem naturæ, quam indiuiduat, habentem existentiam communem, & vnitatem formalem in illo priori, quo ipsa Hæcceitas dimanare intelligitur: postquam autem ipsa dimanauit, resultat, ratione ipsius, existentia, & vnitatis numerica, quibus natura, d. nominatiue tamen, existens singulariter, & vna numero appellatur, & de hac Hæcceitate supposita in doctrina Doctoris, cum Valera controuertimus; an indiuiduet immediate quemcumque gradum genericum, an solum mediante: nempe mediante Hæcceitate, qua indiuiduum specificum in esse indiuidui constituitur.

1. Not.

2. Not.

Nota.

Conclusio.

Secundo notandum: quod sicut Hæcceitas indiuidui specifici (vt iam supra quæst. 1. vniuers. art. 6. conclus. vltima; diximus) sumitur à tota entitate naturæ specificæ, quæ determinatur, & singularizatur; ita Hæcceitas indiuidui generici sumitur à toto gradu generico, qui indiuiduatur: v. g. Hæcceitas, qua hoc animal est indiuiduum animalis, sumitur à toto gradu animalis, vt est viuens sensibile. Nec obstat Doctor, cum in secundo, distinct. 3. quæst. 6. lit. G. sic ait: ista, suple differentia indiuidualis, nunquam sumitur à forma addita sed præcise ab vltima realitate formæ: nam his verbis non vult Hæcceitatem sumi à forma solum, ita vt pars materialis excludatur: vt vult patet Fabrus supra citatus: sed tantum vult assignare discrimen inter differentiam specificam, & indiuidualem; videlicet, quod illa aliquando sumitur à forma addita generici; ista vero nunquam sumitur ab aliqua forma, quæ naturæ specificæ addatur: & ita præcise, quoad rationem indiuiduandi, & distinguendi numerice, tenentem se ex parte formæ, sumitur ab vltima realitate ipsius formæ, qua species constituitur, & non ab vltima realitate alterius formæ additæ specie: itaque ly præcise, non excludit partem materialem à ratione principij, à quo Hæcceitas pullulet; sed excludit aliam formam naturæ specificæ superadditam.

Dicendum: quilibet gradus genericus habet à parte rei propria indiuidua sibi immediata, quæ inter se eundem ordinem, quem ipsi gradus inter se, seruant. Hæc est nostri Doctoris, & omnium suorum locis citatis: quidquid noster nouus Scotizans Peruanus reclaimer: contra quem, rationibus ad Scotistam factis, probatur primo, autoritate Doctoris in quarto, distinct. 8. quæst. 2. lit. O. sic dicenti: Nona conclusio est, quod in singularibus est ordo secundum ordinem vniuersi: sicut prius enim quodcumque vniuersale potest intelligi descendere in proprium singulare, quam contrahatur per differentiam

ad aliquid inferius, tanquam ad speciem: vt sic habeamus ordinem istorum singularium: hoc ens: hæc substantia: hoc corpus: & sic deinceps vsque ad Sortem: ergo conclusio nostra est expressa sententia Doctoris.

Respondet Valera: quod hoc animal, & hoc viuens, possunt dupliciter sumi: vel vage, & indeterminate: secundo determinate, & distincte: primo modo sumptum non dicit determinate aliquam speciem: sed vage, & indeterminate: quando ergo ait noster Doctor (inquit) posse intelligi vniuersale posse descendere in proprium singulare; quam contrahatur per differentiam aliquam ad aliquid inferius, loquitur de cognitione confusa respectu differentia determinate.

Sed quis non videt responsum hanc, Doctoris mentem; & litterarum extorquere? Doctor enim intendit determinare, quid demonstrat pronomen, hoc, in hac oratione: hoc est corpus meum: & concludit demonstrare indiuiduum entis: & ad hoc persuadendum affert verba prædicta: ergo pronomen, hoc, non vage, sed determinate demonstrat tale indiuiduum entis: licet indeterminate tale indiuiduum respiciat aliquam speciem: hoc enim non intendit Doctor. siue enim indeterminate tale indiuiduum sit huius, vel illius, speciei; determinate tamen est indiuiduum entis: & licet priori modo cognoscatur cognitione confusa: secundo tamen modo distincte cognoscitur.

Secundo probatur conclusio: secundum Doct. quilibet gradus communis habet à parte rei entitatem, & vnitatem formalem sibi propriam: ergo & Hæcceitatem: patet consequentia: quia Hæcceitas est entitas positiua naturaliter ab eodem principio, à quo vnitatis formalis, dimanans: ergo, &c.

Tertio Petrus, & est hoc animal, & hoc corpus, & hæc substantia, ac hoc ens: sed petreitas, qua dicitur hic homo, non potest intrinsece, & immediate, esse ratio, qua dicitur hoc animal, hoc corpus, &c. Ergo immediate dicitur hoc animal, per Hæcceitatem immediate animal in communi ad esse huius animalis contrahentem: probo minorem: tum quia animal respectu Petri est genus: & respectu huius animalis est species: sed animal, vt genus: & vt species, non potest per eandem formaliter singularitatem determinari, nec immediate: ergo per diuersam: ergo intentum. Tum etiam, quia Petrus, quatenus in diuiduum, dicitur hic homo sed, vt sic, constat, Metaphysice loquendo, ex hoc animali, & hoc rationali; sicut Physice constat ex hac materia, & ex hac forma: ergo, sicut materia, & forma, dicuntur singulares ex se ante Hæcceitatem totius, Hæcceitatis sibi proprijs, & immediatis: sic hoc animal erit immediate singulare singularitate propria, antequam sit hic homo, & indiuiduum per se speciei, & in recta prædicamentali linea collocatum.

Quarto ex secundo de generatione animalium cap. 3. homo prius tempore, aut natura, vixit vita plantæ; (id est vita vegetatiua) deinde